



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

§. II.

MAnifestè igitur hoc magnum est, pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu; apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus: creditum est in mundo; assumptum est in gloriâ, ut quò præcessit gloria capitis, eò spes eleveretur totius corporis ejus mystici; quod est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis, sponsa Spiritus Sancti. Per illam ipse revelavit nobis, & docet omnes filios lucis, omnem veritatem, absconditam à Sapientibus & prudentibus mundi: revelatam autem parvulis in Christo Jesu. Ipse Deus majestatis exinanitus est usque ad formam servi, ut esset unus mediator Dei & omnium hominum; Salvator totius mundi, ut nos omnes divinitatis suæ tribueret esse participes. Ideò semetipsum exinanivit unigenitus Dei Filius Patri consubstantialis, coæternus, & coequalis in omnibus & per omnia: Ideò Verbum Incarnatum cum in forma Dei esset, Verbum

Deus, de Deo; ipsum Verbum Caro factum est, formam nostram terrestrem accipiens, & nobis per omnia similis factus absque peccato; ut destrueret omne peccatum, & esset ipse Caro Virginea, munda, immaculata, mundans & purificans immundam carnem nostram, peccati sordibus coinquinatam; & per gratiam ejus mundati ab omni iniquitate, & iustificati, ac sanctificati digni redderemur videre facie ad faciem Deum nostrum, in gloriam suam: in quem desiderant purissimi Spiritus prospicere: & cujus aeternam visione beantur omnes Beati, quippe qui sanctissimam Triadem videntes illi similes sunt, quia vident Divinitatem ejus in Sanctissimam Trinitate residentem, sicuti est in se ipsa. Sic Trinitas Divina in JESU-CHRISTO omnem Divinitatis suae majestatem manifestavit, & in illo Deo homine Verbo Incarnato, & nato de Maria semper Immaculata, semper Virgine Dei Matre, omnia nobis donavit, omnia renovavit, ut esset nobis omnia, in Christo JESU. Ille enim, Emmanuel nobiscum Deus, se nascens dedit,

focium; convalescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium æternum: est ergo nobis Deus, unus, trinus, omnia in Christo; & per ipsum dedit nobis omnia, ut sit sola Trinitas Divina omnia in omnibus.

§. III.

Sic tota Trinitas Divina mundum immundum dilexit; ut Filium Dei unigenitum omnibus dederit, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Verbum enim Incarnatum Deus-homo solus Emmanuel nobiscum Deus, nostram carnem de Virginis Immaculatæ utero assumptam, arctissimo vinculo Divinæ suæ Personæ, copulavit in unitatem ejusdem compositi. Non enim, Caro, Anima, & Divinitas, Personâ Verbi unius simul subsistentes, duo sunt composita, aut duo Christi; sed unus est Christus, non conversione humanitatis in Deum, sed assumptione hypostaticâ in Verbum: non confusione substantiarum, quæ semper